



PROOEMIUM: IN QVO DECLARATUR QVOD PHILOSOPHORVM ETHNICORVM PRINCIPES MORE

surreptitio Philosophiæ suæ bases, ab Antistite Moyse sibi falso arrogauerint, & male Philosophiæ suæ ædificium in eas struxerint, atque in hoc etiam crassus & palpabilis Philosophorum Christianorum error digito quasi indicatur, qui, neglecto Biblio sacro, & occultæ Theosophiæ Doctõribus repudiatis; ad vanam Ethnicorum doctrinam confugiunt.



VANAM variæ & inter se discrepantes sint Philosophorum tam veterum quam recentium, de meteororum essentia, ortu & effectibus sententiæ; quam instabiles eorum assertiones, ipsos latere non potest, qui in libris & voluminibus Philosophiæ legendis operam paulo accuratius dederunt: Cujus equidem rei ratio in promptu hominibus, ingenij acumine præditis, adesse solet; nam ubi fundamenta palatij Philosophiæ fabulosa reperiuntur, ibi structura debilis, umbræ Chimereæ haud dissimilis, & per consequens, dubiis, probabilitatis alis statuminatis, referta turgensque est expectanda. Quid veritatis indubitatae in philosophia spuria, ab ineptis Ethnicorum laboribus edita, est depromendum? utpote quibus, Philosophiæ Christianæ fontem aut sacrarum literarum scaturiginem reuera penetrare, à centrali naturæ lumine, hoc est, naturæ & naturalium creatore minime concessum est? Quid Aristotelis, quid Platonis, quid Pythagoræ: quid denique Græcorum, Hippocratis & Galeni, quidque Auicennæ & cæterorum Arabum doctrina, tam Philosophica quam medica, si Bibliorum sacrosanctorum medullam recte & more mystico aut oculis Lynceis inspiciamus? Certe vapor mere præstigiõsus fumusue euanescens, & inane plane figmentum. Vnde fit, ut D. Paulus nos à vana Philosophia distrahere summo opere conatus sit, utpote, in qua nihil nisi nugæ & vix probabilia, aut res vlla prout reuera est, sit elicienda; Nonne ex egregio Prophetæ documento colligimus quam sit impium & profanum, relicta veritatis via, Ethnicorum doctrinam imitari? utpote quo docemur, minime deserendum esse totius sapientiæ fontem, & in regionibus extraneis quærere artem, scientiam, & intellectum, ut faciebant Agareni & qui erant in Theman, (Baruch. 3.) quippe qui veram sapientiam nunquam agnouerunt. Et quamuis philosophorum Ethnicorum nonnullis lumen naturæ & philosophorum arcanum quodammodo reuelatum, scriptorum fide dignorum testimonio, confirmatum habeamus: tamen, quoniam diuinum illius luminis centrum, verum Christum, DEI verbum, spiritusque sancti originem ignorauerunt, ideo lumen illud diuinum præ oculis habentes, sed veram eiusdem rationem nescientes, errauerunt, atque ita euanuerunt in

A

imagi-